

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1265 - 1266

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

liberos et indempnes. in cujus rei testimonium presens est cedula sigilli nostri munimine roborata. datum anno domini 1265.

S aus Straßb. St. A. Briefbuch A fol. 241^a mit der Ueberschrift: daz der grafe von Habsburg globt het, die von Strazburg von schaden zû ziehende von Egen gûtes wegen und daz worden ist Cānrat genant Kepi von Otmersheim.

Gedruckt darnach bei Wencker Coll. arch. p. 58 nr. 3.

606. *Abt Anselm und der Convent des Klosters Schwarzach verkaufen einen beim Steinburgthor in Straßburg gelegenen Hof für 60 Mark Silber an das Johannerhospital zu Dorlisheim. 1266 Februar 5.*

10 Universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris hujus scripti inspectoribus Anshelmus divina miseratione humilis abbas et conventus monasterii in Svarzaha ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis orationes in Christo devotas cum noticia subscriptorum. presentis tenore scripti scire cupimus universos, quod
15 id monasterio nostro esse omnimodis fructuosum, curiam nostram sitam in Argentina apud Steininburgetor cum suis attinenciis, cujus proprietas ex donatione Gerhardi bone memorie filii quondam Friderici de Alba dicti Westerman ad monasterium nostrum est racionabiliter devoluta, prout in instrumentis super hoc confectis plenius continetur, de consensu venerabilis patris et domini nostri . . . episcopi Argentinensis vendimus et vendidisse nos confitemur presentibus fratri Philippo commendatori in Torolvesheim hospitalis sancti Johannis Ierosolomitani nomine ejusdem hospitalis pro sexaginta marcis puri et legalis argenti ponderis Argentinensis a predicto hospitali sancti Johannis proprietatis titulo perpetuo possidendam, resignatione usufructus in eadem curia per Agnetam relictam predicti Gerhardi et Johannem
25 fratrem ejusdem Agnetis prius facta, quibus ambobus pro tempore vite sue ejusdem curie usufructus debebatur, sicut in ejusdem donationis nobis facte instrumentis plenius est expressum. volumus igitur, ut jam dicti fratres hospitalis predictam curiam in perpetuum possideant et de ea pro sue voluntatis libito ordinent et disponant ac ea utantur et fruantur habeantque pleno proprietatis jure, quod jus in eos
30 presentibus totaliter transferimus resignantes omne jus, quod predicto monasterio nostro in prefata curia hactenus competebat. confitemur etiam, predictum argentum nobis integraliter presentatum et in nostri utilitatem monasterii esse conversum, constituentes nos et nostros in dicto monasterio nostro successores warandos supradicte curie prenominati^a fratribus hospitalis generaliter quoad omnem hominem,
35 ut est juris. renunciamus quoque omni juris auxilio, restitutioni in integrum cunctisque defensionibus seu actionibus nobis ac nostro monasterio competentibus seu competituris in posterum contra presens instrumentum sive factum et omni juris auxilio canonici et civilis, juri speciali et communi argenti non soluti, non ponderati,

a) B prenominati.